


BX1417
B3
B34
1829-49

ENTERED according to the Act of Congress, in the year one thousand eight
hundred and fifty-one, by JOHN MURPHY, in the Clerk's Office of the
District Court of Maryland.

TYPIS JOANNES MURPHY ET SOCII.



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEON

MONITUM.

ANNO 1791, ven. JOANNES CARROLL, tunc Episcopus Baltimorensis, Synodum Diœcesanam habuit, ad eam convocatis Missionariis qui sacro Ministerio sub ipsius jurisdictione operam dabant. Idem sa. me. Præsul, Archiepiscopus renuntiatus, post consecrationem suorum Suffraganeorum, Conventum habuit an. 1810, atque unà cum illis articulos quosdam disciplinæ condidit. De hac Synodo et Conventu ita locuti sunt Patres Concilii Baltimorensis Provincialis 1, in Congregat. priv. habitâ die 13 Oct. 1829: "Cùm temporum locorumque adjuncta spectamus in quibus versabatur venerabilis memoriæ JOANNES CARROLL, Episcopus Baltimorensis, quando habuit Synodum Diœcesanam anno 1791, valdè admiramur quo fidei studio, prudentiâ et scientiâ, plurima in Ecclesiæ utilitatem statuerit. Magni etiam facimus quæ ad nos pervenerunt ab eodem venerabili Præsule, postquam ad dignitatem

“Archiepiscopalem evectus est, gesta unà cum aliis
 “hujus Provinciae Episcopis, anno 1810. Iis plurima
 “contineri agnoscimus quæ utilitatem ac ædificatio-
 “nem magnam afferunt; et volumus eadem Acta,
 “prout edita sunt à proximè defuncto Archiepiscopo,*
 “doctrinâ et studio fidei venerabili, iterùm edi unà
 “cum hujus Provincialis Concilii decretis.” Morem
 igitur gerentes Patrum Concilii I Baltimorensis vo-
 luntati, huic Editioni Conciliorum Provincialium
 Acta et Statuta Synodi Baltimorensis anno 1791
 celebratæ, nec non Articulos disciplinæ Conventûs
 anno 1810 habiti, præfiximus.

* Revmo D. Ambrosio Marechal.



STATUTA

SYNODI BALTIMORENSIS ANNO 1791 CELEBRATÆ.

REVERENDISSIMUS Episcopus Baltimori per litteras ad suum clerum directas die 27 Octobris, anno 1791, significavit sibi statutum esse, synodum Diœcesanam celebrare in Ecclesiâ Baltimorensi, die 7 Novembris ejusdem anni, omnesque suæ Diœceseos sacerdotes qui animarum saluti et sacris ministeriis legitimè vacabant, ad hanc synodum invitavit.

Huic igitur convocationi morem gerentes, die constitutâ convenere ad ædes Episcopales Clerici sequentes:

Jacobus Pellentz, <i>Vic. Gen. per totam Diœcesim.</i>	Stanislaus Cerfoumont.
Jacobus Frambach.	Franciscus Beeston.
Robertus Mollineux, <i>Vic. Gen. District. Meridionalis.</i>	Laurentius Gressel.
Franc. Anton. Fleming, <i>Vic. Gen. Dist. Septentrion.</i>	Josephus Eden.
Franc. Car. Nagot, <i>Præses Seminarii Episcopalis Sti Sulpitii.</i>	Ludovicus Cæsar Delavau.
Joannes Ashton.	Joannes Tessier.
Henricus Pile.	Antonius Garnier.
Leonardus Neale.	
Carolus Sewall.	
Sylvester Boarman.	
Guillelmus Elling.	
Jacobus Vanhuftel.	
Robertus Plunket.	